

www.e-rara.ch

Ludovici Holbergii Opuscula quaedam latina, epistola I

Holberg, Ludvig

Lipsiae, 1737

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 25.482

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-58144>

S. 140 [- 212].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

gumentum dulce ac amatorium est, dialogi verò sale fatyrico identidem conditi. Ter repetita fuit jussû superiorum, quæ felicitas nulli antehac apud nos comœdiæ contigerat.

Neque spectatoribus displicuit Undecima, cui nomen est *Miles Gloriosus*, licet indolis antiqvæ Comœdia sit, adque exemplar Militis Plautini expressa. Ipse tamen necesse existimo, ut limam subeat ob soliloquia quædam, nimis prolixa, quæ Lectori quidem ob salem, quo respersa sunt, grata, spectatori verò non æque placent.

Majori cum applausu excepta fuit Duodecima, cui titulus *Ulyxes*. Commentatur hæc fabula in insulsas, deformes ac semiseculares comœdias, quæ a Circumforaneis olim heic exhibitæ fuere. Spatium quadraginta annorum complectitur, scenæ crebrò mutantur. Ventosa ac turgida loquela utuntur Principes, ut a vulgo distinguantur, signa dant tubicines, quoties in scenam prodeat Imperator, personæ fabulæ, jam juvenes sunt, jam senio cani. Huc adduntur crebri anachronismi, barbara nomina & idgenus alia, quibus comœdiæ circumforaneorum scatent. Cuncta hæc vitia tantâ arte detegit Arlequinus servus Ulyxis, ut plebi, quæ ad fabulas morales ac criticas oscitare
ple-

plerumqve solet, non minus grata esset quam
 ipsis optimatibus.

Decima tertia dicitur *Rilde-Reise*, sive *pro-
 fectio ad fontem sacrum*, in qua perstringuntur
 ii, qui de virtute miraculosa fontis cujusdam,
 haud procul a Metropoli nostra scaturientis,
 persuasi, stato anni tempore vigiliis sc. St. Jo-
 hannis catervatim eò confluunt.

Decima quarta Tragi comœdia est, cui
 nomen *Melampus*. Heros Dramatis est
 Catulus, quem perditè adeo amant duæ soro-
 res, ut bellum exinde nascatur inter sponso-
 rum earum. Feliciter tamen componitur hoc
 bellum a superveniente utriusque sororis fra-
 tre, qui Heroëm fabulæ Melampum utpote
 pomum eridis, e medio tollit. Mirum est,
 quantum cunctis spectatoribus placuit hæc
 fabula ob commentirarritatem. Nam, cum in
 argumento adeo ludicro Sophocleo planè hia-
 tu bacchetur poëta, risum simul ac lacrymas
 movet. Est aliàs duplex hujus dramatis sco-
 pus, luditur detragœdiis, quæ verborum syr-
 mate tument, luditur etiam de mulieribus,
 quæ, ut ait Poëta,

Morte viri cupiunt animam servare catellæ.

Decima quinta dicitur *Fratres in contraria ru-
 entes*. Præcipuæ comœdiæ personæ sunt duo
 fratres, quorum alter superstitiosus est, alter
 verò

verò incredulus ; utriusq; vitio dum mederi conatur amicus, illius superstitio in incredulitatem, hujus verò incredulitas in superstitionem degenerat. Monstrat igitur fabula, omne vitium in præcipiti stare, ardoremqve reformandi se ipsum propellere donec in aliud extremum labimur. Sed legentibus gratior est hæc comœdia spectantibus.

Quindecim hæ fabulæ impressæ sunt, & in tres tomos describuntur, quorum prior tomus biennii spatio ter recusatus est. Reliquæ, non impressæ, sed in theatro nostro cum applausu exhibitæ, sunt 1) *Machinationes Henrici* (nam seruo hoc nomen est in omnibus meis comœdiis) 2) *Henricus & Petronilla* 3) *Rusticus comitis Palatini personam agens* 4) *Vir in nibilo agendo occupatissimus* & deniq; 5) *Perfidus Vitricus*.

Mirantur nonnulli, breviadeo tempore viginti comœdias, quarum pleræq; in vitia ab aliis comicis intacta commentantur, perfici potuisse: neqve desunt, qui, huc aptari credunt illud Horatii:

Nam fuit hoc vitiosus, in hora sæpe ducentos,

Ut magnum versus dictabat, stans pede in uno.

Sed eosdem redarguere nihil aliud est quam propriam laudem ebuccinare. Igitur dicam so-
lummodo id, quod res facti est, fabulas meas

cum

cum optimis Mollerii alternis vicibus exhibitas pari applausu, licet in iisdem exprimendis major sit comædorum dexteritas, viam monstrante, gestus ac gressus moderante Montacutio illustri apud nos Comædo gallico. Huc accedit, quod nulla fere gens sit, quæ domestica magis nauseat, quam populares nostri, imprimis verò sexus sequior, qui, quicquid gallicæ indolis non est, respuit. Quod igitur tot plausores invenerint fabulæ meæ, quodque tanto comædorum lucro exhibitæ, totiesque repetitæ fuerint, neque novitatis gratiæ, neque experimentium arti imputandum est. Non deerant, qui invidis oculis hunc successum mox intuebantur, qui; jam clam cuniculos agendo, jam aperto Marte arcem hanc oppugnabant; sed irrito omnes opere: nam inconcussæ ad hoc usque tempus stant comædiæ meæ, ac tam vulgi quam procerum albis calculis munitæ.

Miraris tu, Vir Perillustris, in novissima tua epistola, cur cessent jam spectacula nostra: ego verò potius miror in istis angustiis tam diu stare potuisse. Doles nomine publico, doles etiam meo. Cur publico nomine ægrè fers ruinam theatri Danici, non miror, cum Daniæ amantissimus sis, cumque ægrè tulerint omnes, qui eodem tecum studio in patriam

feruntur, quique spectacula ista non minus proficua quam gloriosa nomini Danico duxerunt; gloriosa, cum ita duxerint omnes moratiores gentes, proficua, cum imaginem exhibuerint virtutum ac vitiorum, quæ plebi nostræ, in crudis olim circumforaneorum fabulis penitus defixæ, incognita essent, cumque stante theatro Danico, a limine patriæ arcerentur peregrini greges, argentò quotannis nos emungere soliti, in quorum spectaculis præter bonas horas morum quoque animorumque dispendium erat. Memini, cum ante aliquot annos apud nos fueris, quanta cum voluptate audivisti ancillam quandam de ridiculo generis humani, quod comcediis nostris exprimitur, non inepte differentem. Perfusus tunc gaudio exclamasti: *Beata est civitas, ubi philosophantur ancillæ!* Taceam aliud commodum, quod sc. his spectaculis expoliri posset lingua Danica, quæ ob in curiam scriptionum satis confusa est. Non igitur miror, dolere te publico nomine. At cur meo nomine doleas, non video, cum jam exemptus sim turbis, invidiâ, improbisque laboribus ad quos nunquam non, stante theatro nostro, sollicitabar cum sanitatis ac facultatum dispendio. Tales mihi messes pepererunt labores mei, cum Auctores, in Gallia & Anglia ex una sola fabula
cum

cum applausu exhibita duo vel tria thalero-
rum millia non rarò lucrentur. *Q*uin igitur
potius mihi gratuleris, qvòd jam cessent labo-
res molesti simul ac sumptuosi.

Ex hac scribendi assiduitate deficere mihi
vires comperiebam. Hinc ad thermas Aquis-
granenses iter meditabar, munitusq; diploma-
te regio initio mensis Julii An. 1725. in viam
medabam.

Sperabam, exercitationem corporis magis
mihi profuturam, qvam thermas; at præter
expectationem animadvertiebam, sanitati meæ
infestas tum esse istas corporis agitationes,
qvæ, ut Juveni & paulo remissius vivere soli-
to, beneficæ, ita viro, & ad durissimas tempe-
rantix leges adstricto noxiæ fuerunt.

Tanta eodem anno erat aëris intemperies, ut,
licet initio mensis Junii iter ingrederer, à pro-
cellis tamen & frigore absq; intermissione infe-
starer. Inclementiam etiam maris utroq; freto
Balthico expertus sum minusq; fretum non ci-
tra vitæ discrimen trajeci, eluctatus tamen hæc
pericula Haderslebiæ tandem ventum est;
cujus incolæ officiosi admodum ac bene mo-
rati mihi visi sunt: ferociores paulò reperiẽbam
Flensburgenses, qui non eadem comitate ho-

spites excipiunt. Inter omnes ducatus Slesvicensis incolas ad rem maximè intenti existimantur hi

— — *parcum genus est patiensque laborum
Quæsitique tenax, Et quod quæsitâ reservat.*

Hinc non mirum est, tot in illa civitate inveniri opulentos homines, præsertim cum varias obtinuerint immunitates, quibus cæteræ regnorum ac ducatum incolæ non gaudent. Hospitium nactus sum Flensburgi valde incommodum: magna quidem & spatiosa erat domus, variis cellis instructa, sed quocumq; oculus se verteret non nisi sordes erant, quæ totam domum obscæno odore implebant. Hinc, ut olfactui officerem, cubiculum meum quavis hora fumo thuris impleo. Ita ornatae erant ædes, neque cultiores erant homines quibuscum prandebam. Inter commensales meos duo imprimis nausæam simul ac delectationem mihi pepererunt. Nam alter graviter balbutiebat, alter amissio, nescio quo bello, naso, sibilare verius quam loqui videbatur, & cum utriqve ingens esset loquendi pruritus, tristis simul ac festiva exhibebatur Scena. Huc adde, quod prandentes circumstarent 5. vel 6. feles cum totidem molossis, quorum cantus acuti dissoniq; auribus obstrepentes exanimem ferè me fecerunt. Circum-

ventus

ventus concurrentibus hisce molestiis alium clam adibam diversitorem, cui incommoda, quibuscum conflictabar, exposui, petens, ut in domum suam me reciperet, præsertim cum biduum adhuc in urbe commorari coactus essem. Ille verò verens, ne negotium illi faceferet alter, negat id fieri posse. Ita hac spe dejectus ad ergastulum regredior, morbum mentitus, prandium ac cœnam in cubiculum meum afferri jubeo. Relicto demum Flensburgo, Hamburgum venio, ibique aliquot dies moratus, itineri insisto. Sunt in superba ac opulenta hac civitate non pauca notatur dignissima, sunt etiam magni nominis literati, sed neminem tunc adibam præter celeberrimum Fleischerum, Præpositum Altonaensem, Virum mihi amicissimum, & itineris olim socium.

Tria sunt itinera, quæ Amstelodamum ducunt: iri potest aut per Osnabrugum curru ordinario, quem ob tarditatem vocant *Ochsenpost*, aut parvis navigiis, quæ statis temporibus vela faciunt, aut per Bremam & Oldenburgum. Ultimam hanc viam tanquam optimam, & a plerisque maximè commendatam, elegi. Post bidui iter Bremam venio, sed æger, rigidis frigore membris ac penula nimbo stillante; nam tanta erat inclementia cœli, tot

imbres, tantæ procellæ, ut vereremur, ne arbores, quas ventorum rabies diversis locis dejecit radicibus suis convulsæ in currum proci-derent, frigore etiam penè enecti ignem quo-
vis diversorio accendere cogebamur. Hæc tamen omnia medio mensis Junii acciderunt.

Incolæ urbis Bremæ voluptatum ignari gravem & austeram vitam agunt, nulli ibi sunt ludi scenici, nulla spectacula publica, nisi quæ forte à circumforaneis statò anni tempore exhibentur: Non spectatum eunt Bremenses, neque spectentur ut ipsi; adeo ut quisquis placide vitam transigere optat, in civitate ista sedem figat, ubi tanquam in secessu vivitur: raræ ibi sunt turbæ ac seditio-
nes, rara furta ac latrocinia. Deprehensus eodem tempore fur totam fere urbem in sui spectaculum excivit, insolitum adeo est ibi furari, Quod formam regiminis attinet, videbam pleraque Bremenses communia habere cum societate illa Germanica, quæ Bergis Norvegiæ est. Quippe gaudet utraq; civitas suis *Aldermannis*, suis *Acteimis*, suis *Schötingis*: adeo ut forma societatis Bergensis ad exemplar Bremensis expressa videatur. Iidem sunt Magistratus, eadem senacula, eadem ceremoniæ, eadem etiam nomina, ita Rempublicam Bremensem
in

in omnibus exscripsit Hanseatica ista apud nos societas.

Satis commode ac modico sumptu Amstelodamum itur per ducatum Bremensem ac Comitatum Oldenburgicum, si socios habeas itineris. Me vero comitibus destitutum pœnitudo mox suscepti hujus itineris cepit, quippe, cum nulli sint currus Ordinarii, solus conducere cogebam vehicula, quæ vulgò dicunt *Ordinantzie Wagens*. Oldenburgi aliquot dies hærebam, & fateor, nullibi me jucundiorē vitam egisse, ita gratiosè exceptus fui a summo Comitatus Præfecto, Viro Excellentissimo D. Sehstedt, qui ab omni fastu alienus, sola virtute, prudentiâ ac morum urbanitate à vulgo distinguitur. Domus illius literatis tunc frequentens Academiæ sive Gymnasii speciem præbuit. Prandia ac cœnæ doctis sermonibus distinguebantur, ut voluptates utilitate condirentur. Poteris apud alios apparatus cœnare, sed nunquam simplicius, hilarius, incautius. Hinc conjicere facile potes, me non nisi ægrè Oldenburgio discessisse.

Quod reliquum est itineris per Frisiam Orientalem usq; ad Castellum Novum non minus molestum est quam sumptuosum. At hic finis laborum, commodeque inde itur scaphis,

qvas trahunt eqvi, parvulo etiam impendio, præsertim, si in scaphis qvoqve pernoctare velis, id qvod pleriqve solent facere, partim ut iter accelerent, partim etiam, ne incidant in manus cauponum, qvi viatores miserè exco-riant. Sunt enim diversoria per totam passim Hollandiam non magis sumptuosa quam incommoda. Occurrunt ubiq; superbæ civitates, splendida ædificia. Ingens etiam nitor in qvavis plebeia domo regnat. Sed hæc omnia oculos magis quam animum pascunt: Nam cum pleriq; caupones ex aliis etiam rebus qvæstum faciunt, non ea comitate viatores excipiunt, qvâ diversitores in Gallia sive Italia. Cellulæ etiam nosocomia sunt, variis lectis, qvæ scalis ascenduntur, instructæ, in qvibus cum furibus sæpe aut latronibus dormiendum, aut potius ne juguleris, vigiles noctes agendæ. Ipse etiam nitor, qvem tantum jactant Batavi, inter incommoda numerari potest. Nam hospiti, qvi vel

— — *terram luto ferit intestino,*

vel minimam aqvæ gutulam in pavimentum effundit, actio polluti pavimenti statim a caupone intenditur, parumq; abest, qvin ad interdictum venire jubeatur, ac si pavimentum cauponæ conspuere idem esset ac locum sanctum sive religiosum polluere.

De

De munditie Batavorum ego tale fero iudicium : nitidi sunt in parvis, sordidi vero in magnis, lavant plateas non manus ; Vescuntur etiam e communi patina, cui interdum digitos immergunt, id quod nauseam movere debet præsertim, si commensalem habueris piceatum nauclerum, quod sæpe usu venit, cum id genus hominum in pretio est apud Batavos. Nulla ferè gens est cujus sortem magis miseror ; nam invitis opibus immensis pauperem vitam agunt ; In magnis habitant palatiis & tamen angustè, quia nullæ sunt areæ, rari etiam horti ; Unde ego sæpe mecum

*Esse aliquid quocunque loco quocunque recessu
Unius sese dominum fecisse lacertæ.*

Invitatus semel ad prandium fui a mercatore quodam, non infimi ordinis, sed totum prandium uno solo ferculo piscium absolvebatur. Hinc sæpius rogatus non condico.

Hæc sunt incommoda, quæ viatores experiuntur. Sed compensantur ea variis egregiis institutis & salutaribus legibus, quæ remotissimas etiam gentes e sedibus suis cient, alliciuntq; in Hollandiam, quæ cunctis terrarum orbis incolis communis patria censenda est. Honesti etiam ac valde candidi sunt Batavi. Cum

innotuerit amicis meis Amstelodami causa suscepti a me itineris, consilium omnes mutare jubent. Monita ista diu insuper habui, de nec argumentis eorum, quibus explorata erat corporis mei constitutio, victus a proposito desistebam; sed molesto itinere nuper defuncto inconsultum videbatur tempore autumnali in patriam recurrere: Quocirca mox Bruxellis, tandem Lutetiæ hyemem transigere decrevi. Amstelodami igitur Scapham conscendo, quæ Roterodamum itur. Mentionem heic facio hujus scaphæ, ut ab illa sibi caveant alii mortales. Videtur quidem eadem valdè accommoda, præsertim iis, qui sarcinas secum vehunt. Sed eadem vecturâ usuris tempore conducendum est tugurium naucleri, ni velint vigilem ac tristem noctem agere; id quod mihi accidit; nam, cum conductum ab aliis esset tugurium magistri, coactus fui in alia Vectoribus communi Camera pernoctare. Plena eadem erat nautis ab Indis nuper venientibus & in Zelandiam ituris. Iidem obscœnis sermonibus, sannis, fœdisque cantilenis me penè confecerunt. Ipsa meridie in tenebris versabar, spissas adeo nubes formaverat fumus herbæ Nicotianæ, qui visui offuit. Ætnam vel Vesuvium ardere crederes. Hæc tamen omnia spartana nobilitate sustinui; at, cum audirem

comitiis habitis ferri legem : *ne quis momento
tota nocte dormiat*, stetere mihi comæ. Spera-
bam eqvidem, plebiscitum hoc, utpote inter
pocula latum, exhalatâ crapulâ antiquatum iri:
at, cum in potione vini adusti totam noctem
traherent, sanctè observata fuit lex, meqve
identidem nutantem cubitorum arietatione
desomnem fecere. Hinc æger animi ac cor-
poris Roterodamum veni, ubi inter alios for-
tem meam exposui Tribuno cuidam gallico
nomine *Caneau*, qvi ab Hispaniis nuper vene-
rat, similemq; noctem in eadem scapha passus
fuerat. Socium habui itineris eundem Tri-
bunum, virum liberalem, integrum & opti-
mè moratum, qvi omni officiorum genere
me demereri conatus est. Duodecim hora-
rum spatio navibus iri potest Antwerpiam, si
ferentibus ventis fruaris. Nos verò viginti
qvatuor horas huic trajectui insumpsimus. Qvi
Roterodamo Antwerpiam eunt ab uno extre-
mo in aliud labuntur. Illic enim, cum Rote-
rodamum inter emporia Hollandiæ secundum
locum tenet, strepitu omnia personant. Heic
verò alta regnat qvies. Illic Plutus, heic I-
rus. Illic rude hominum genus, hic cultissi-
mi ac optimè morati cives. Illic diversi ri-
tus, diversa sacra, hic in solius Pontificis Ro-
mani verba juratur, qvippe Flandri ac Braban-

tii sub imperio Hispanico vivere assveti ipsis Italis orthodoxiores adhuc censentur. Urbes, suburbia, rura, compita sacellis ac Numinibus adeo frequentia sunt, ut facilius possis Deum quam hominem invenire. Antwerpia profectus Mechliniam veni, ubi dum aliquot horas exspecto alium currum, urbemque otiosus perlustro, a fratre ordinis St. Francisci in Cœnobium intromittor. Circumreptabam duce eodem fratre omnes Cœnobii angulos, splendidus ibi est hortus, sed, cum imaginibus sanctorum omnes semitæ obsideantur, molesta est ambulatio imprimis homini hæretico. In templo tota St. Francisci vita variis tabulis expressa monstratur. Crassissimam ignorantiam tunc prodidit dux meus, unam ex iisdem tabulis ita explicans: *Vides in hac tabula pœnitentem St. Franciscum, qui abjurata, quæ infectus erat Calvinianorum hæresi, ad genua Patris sui procumbit, a quo graviter eo nomine objurgatur.*

Bruxellis aliquot dies transmisi indeque Lutetiam profectus sum. Tristis tunc inclytæ hujus urbis facies erat: Nam tanta erat annonæ caritas, ut libra panis decem solidis (10 Sols) venderetur. Hinc plebs in desperationem acta turbas ciebat, quæ non nisi supplicio capitali duorum civium sedatæ fuerunt. Eodem tempore accidit miraculosa curatio matronæ

cujusdam, sanguinis profluvio laborantis. Historia hujus miraculi typis vulgata venalis ubique circumferebatur. Sed infimi cives de fame sedanda tantum solliciti miracula ista, quorum alias avidi emptores sunt, insuper habuere. Audivi nonnullos inter se mussitare: *prodigiorum feracior hic annus est quam farinæ; item: dum miracula fiunt, nos fame morimur.* Ja-
 Etabat magnificè miraculum istud clerus, crediditq; solum istud sufficere ad convertendos eos, qui a Romanis ritibus dissentiant. De veritate equeidem historiarum nullus est dubitandi locus. Testantur omnes vicini verò sanguinis profluvio per aliquot annos matronam hanc vexatam; ac repentina ista curatio spectantè toto populo facta est; Nam baculo innixa ac rivos sanguinis effundens hostiam portantes seqvebatur; sana vero & sicca e templo egrediebatur. A solis igitur Jesuitis ac medicis miraculum hoc depretiatum est. Frivolam illi allegabant dubitandi rationem: fieri scilicet non posse, ut Deus permetteret miraculum fieri, portantè hostiam Pastore Jansenismi suspecto. Medicorum argumenta solidiora erant, dum credebant naturaliter hunc effectum produci potuisse e sola vi imaginationis, cujus rei sexcenta adducebant exempla. Sed his in medio relictis, ad me ipsum redeo.

Cellam conduxì in via Jacobæa haud procul
 ab

ab horto Luxemburgico, quem cæteris hortis publicis præfero ob salubritatem aëris. Sed molesta tunc erat ambulatio ob multitudinem mendicorum, qui omnibus semitis inerrabant. Risum vix tenere poteram, cum viderem homines splendide vestitos stipem a quovis obvio emendicare; cumque audirem non paucos prolixam cæsariem integris farinæ modiis onustam, matutinoque sudantes amomo,

Quantum vix redolent tria funera,

sublatis ad sidera manibus ingeminare: *mori-mur fame! aliquot dies sola aura vescimur!* Obvium semel in eodem horto habui hominem, nitide satis vestitum, quem ab occurrente matrona stipem videbam petere, mox verò eam ab alio. Non ita multò post Virgo, sericam Vestem induta deliquium animi patiebatur. Eadem, ab uno circumstantium agnita, domum semimortua gestabatur, ubi inventa est habitare in misera cellula, quam

— — *tegula sola tuetur*

Apluvia, molles ubi reddunt ova Columbae,
caulibus, pomis, ac solis leguminibus nutrita. Hæc a me afferuntur non alium in finem, quam ut monstrem ambitiosam istius gentis paupertatem, cum etiam ipsi mendici superbe vestiti, sola corporis macie ac faciei pallore ab opulentis hominibus distingvuntur. Confundas

ibi

ibi facile concedum, palæstritam, saltatorem cum ipsis aulæ purpuratis, futorem, vel fullonem jures esse senatorem, Uxorem librarii vel archimagiri e Reginæ comitatu matronam. Id quod valde molestum mihi erat; Nam licet decentibus satis vestimentis instructus essem, vix tamen inter eos, quos Parisienses vocant honestos homines (*honestes gens*) numerari poteram in civitate illa,

— — *ubi vivunt ambitiosa*

Paupertate omnes. — — —

Ubi ipsi servi tibialia portant auro & argento interstincta. Sed hæc omnia in mores Parisiensium me pertrahere nequibant. Nam Lutetiam veneram, non eum in finem, ut luxu habitûs nomen aliquod mihi parerem, nec, ut unâ comederem patrimonia mensâ. Id quod caupones suburbii St. Germani vocant (*faire bonneur a la Nation*) cum ad prodigalitatem sollicitant, sed ut loco aliquo commorarer, quoad anni tempus in patriam reverti permetteret. Hinc ego ferè solus simpliciter tantum *Monsieur* vocabar, cum alii extranei usque ad filios mercatorum Hamburgensium & Lubecensium Comites aut Barones audirent, ultimus hic titulus minimus est, quo macant hospitem argenteo habitu ornatum; si vero auro intertextus sit, dicitur *Monsieur le Comte*,
Mi.

Mirum est quantum fervilis ejusmodi adulatio juvenes ad luxum & prodigalitatem stimulet. Caupones suburbii St. Germani advenientes Juvenes comiter excipiunt, rogantes hospitalia in maximè sumptuosa ducunt. Mox servos mercenarios commendant, qui vitæ morumq; magistris agendo dominos suos docent brevem & succinctam methodum dilapidandi bona patrimonialia. Advolant deinde saltatores, palæstritæ, lingvarum Magistri, maximam partem insignes parafiti in adulationem compositi, qui, ut cœnas captent, auribus infidiantur, & cum accedunt animalia quædam generis fœminini, quæ juvenes procantur ac laqueis involvunt. Catastrophe tragœdiæ fit. Crisi hac non perstringo gentem Gallicam, nam fordida avaritia non est proprium huic genti vitium, cum liberales, munifici ac officiosi sint galli, neque totam urbem, sed incolæ tantum vel diversitores istius urbis Regionis, in qua habitant extranei, si vero causam quæras, cur ita vivitur in hac urbis regione, in propatulo est. Celebriores Europæ civitates, quæ etiam animi causâ ab exteris visuntur maximam partem emporia sunt, proprioque stant commercio, quod non solum alendis, sed etiam ditandis incolis sufficit. Lutetia verò mediterranea est civitas, ubi magna pars civium

vium non nisi sumptibus extraneorum vivunt. Ideoq; hi eodem oculo intuentur currus adventantes Bruxellis, Meta, Argentorato, quo mercatores alibi allata in portum navigia: Nam diviti Juventute onusta sunt vehicula, quæ aurum ac argentum apportat, nihil verò aliud exportat, quam vacuas crumenas, incessus quosdam grillatorios, artem adulandi, integra cantilenarum volumina, aliasq; elegantias Parisienses (*Franchise Parisienne*) quas autor quidam anonymus in eo consistere notavit, ut pedibus decussatim positis, cantando ac sibilando auribus obstrepant. Solicite ego Parisiis quærebam commodum hospitium, sed rara avis; nam prodigiosa ista hominum multitudo, quâ Lutetia laborat, turbas ubiqve ac perpetuam molestiam creat.

— — *rhedarum transitus arctò*

Vicorum flexu, stantis convicia mandræ

Eripiunt somnum Druso vitulisque marinis.

A summo, ab imo, ab utroque latere obsideris integris familiis, & cum natio valdè comæda est, si vicinum nactus sis juvenem (*un petit Maitre*) sive Virginem, longa Cantilenarum serie, si literatum, continuo murmure quies turbatur; Quippe omnes fere literati mugientes student. Ingens ista hominum frequentia alia etiam incommoda parit,

qvæ

qvæ neq; Amstelodami neqve Londini exper-
tus sum: Nam, qvamvis Londinum magni-
tudine Lutetiâ superius sit, multitudine ta-
men incolarum, longe inferius censeo, id
qvod tamen pertinaciter negant Angli, dum
credunt ex annuis defunctorum catalogis
(*bills of mortality*) contrarium evinci posse.
At, cum benigniorem aërem spirant Parisien-
ses, ac vitam longè frugaliorem ducent qvam
Londinenses, longius plerumq; ævum protra-
hunt. Sunt etiam inter Anglos, qvi affir-
mant, mitti qvotannis e provinciis Londi-
num aliquot hominum millia ad supplendum
incolarum numerum, & ni hoc fieret, deser-
tam brevi fore hanc metropolin. Exinde pa-
tet catalogos istos fallaces esse, & necesse esse
curatiorem civium censum fieri, cum e catalo-
gis natorum & defunctorum nihil certi defini-
ri possit. Huc accedit, qvod una gens aliâ sit
fœcundior: ratio etiam haberi debet tot cœ-
nobiorum, tot collegiorum, aliarumq; socie-
tatum Parisiensium, ubi mandatum istud di-
vinum: *Crescite & multiplicamini!* jure Cano-
nico antiquatum est. Id qvod tamen, fan-
ctè adhuc implet clerus Anglicanus.

Hæc sunt incommoda illa, qvæ Parisiis ex-
perior, & tamen nulla fere est civitas, ubi ju-
sundio rem vitam ago; nam nusqvam salubrius
dego,

dego, neque heic uti alibi opus mihi est am-
 bulatione, vel alia corporis exercitatione fa-
 mem obsonare: egregius adeo cibi appetitus
 est, quem an acceptum feram beneficio aëris,
 an verò annonæ caritati, cum omnia pondere
 ac mensura distribuuntur, haud liquido dice-
 re possum: Certum est ipsam affluentiam fasti-
 dium cibi parere, quoniam à lautissimis con-
 viviiis sæpe impransus aut incœnatus in septen-
 trione nostro abeo, ubi vides

— — *tot vasa ingentia, tot res impositas mensæ.*

Sunt & multa alia oblectamenta Parisiis impri-
 mis homini literato. Ingens Bibliothecarum
 numerus, tot doctæ societates publicæ, tot et-
 iam privatae, in quas facile recipiari, tanta
 est doctorum Parisiensium ad demerendos
 peregrinos propensio. Paucos ego tantum
 literatos invisi, sed maximè illustres. Bis cele-
 berrimum Montfauconium adibam, quem
 semper libris immersum, sed tamen obvium,
 festivum & tanquam otiosum reperiẽbam. De
 lingvæ latinæ enunciatione cum sermones
 miscuerimus, miranti mihi, cur litera M cum
 præcedente vocali semper in dictione ligata e-
 liditur, respondit: literam hanc etiam in ora-
 tione soluta a priscis latinis in fine omis-
 sam, dixitq; ad manum sibi esse inscriptiones non-
 nullas latinas, ubi legitur factu pro factum,

L

Ro-

Romanoru pro Romanorum. Sed cum in eo
 esset, ut curiositati meæ satisfaceret, superven-
 nerunt alii ab incepto eum revocantes. Minus
 sociabilem reperiebam Patrem Harduinum.
 Rarò conveniendi sui copiam facit, nisi præ te
 feras, dubium aliquod habere, de quo mentem
 illius explorare cupis. De quo cum admoni-
 tus essem ab alio Patre, dubio mihi, quoniam
 dubio aditum ad Dominum Harduinum pate-
 facerem, in mentem venit, nuper me legisse
 locum ab autore libertatis cogitandi allega-
 tum è Chronico Ep. Victoris, cujus hæc sunt
 verba : *Messala Consule, Anastasio Imperatore ju-
 bente, sancta evangelia, utpote ab idiotis Evangeli-
 stis scripta, corriguntur & emendantur.* Finge-
 bam me credere, malitiose ea ficta esse ab au-
 tore libertatis cogitandi. At ille, ut scrupulum
 mihi adimeret Chronicon Victoris è Biblio-
 theca depromsit, trementiq; præ senio ma-
 nu locum monstravit, dicens, mandato isto
 non religionem, sed memoriam Anastasii læ-
 di, qui, cum hæreticus esset, corrumpere qui-
 dem potuit exemplaria quædam Evangelio-
 rum Byzantii, non vero, ea quæ in Orthodoxo-
 rum manibus erant, quæ explicatione conten-
 tus acquiescebam. At cum subjungeret, sese
 facilè monstrare posse, Anastasium Impera-
 torem nunquam in rerum natura extitisse, vix
 rilum

rifum tenui. Audiebam Reverendum Patrem adhuc antiquum obtinere, & in pyrrhonismo, licet jam dudum palinodiam cecinerit, persistere. Nestoream fere ætatem nactus est Pater Harduinus & tamen nondum receptui canit, damnans tanquam iners ac ignobile illud effatum Milonis Crotoniatæ, qui, cum senex jam esset, athletasq; se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos illachrymansq; dixisse fertur: *At hi quidem jam mortui sunt.* Adibam paulo post celeberrimum Patrem Turneminum, quò virò nihil ornatius, facundius, festivius. Non enim collegii socium, sed Aulæ ministrum diceres, tantæ sunt morum elegantia; solus, quem possidet eruditionis thesaurus, ab aulico distinguit, ac solitarium indicat. Diu & doctè nobiscum loquebatur; Nam aderant simul studiosi quidam Germani cum Pastore Legationis Danicæ D. Crusio, qui cum ob eruditionem & svaves mores plerisque literatis notus esset, facile mihi eò ducente ad omnes patebat aditus. Monstravit nobis Turneminus bibliothecam suam privatam, in qua inter historiæ Daniæ scriptores etiam Torfæi Chronicon Norvagiæ erat. Inter alia timeliî sui rariora exemplar quoddam exhibuit Novi Testamenti 800 annorum, in quo celebris apud Johannem locus

desideratur, ut in plerisque exemplaribus græcis, etiam in celebri illo novo codice, qui in bibliotheca St. Victoris latet. Credidit Pater Turneminus, revisores bibliorum, Eusebium scilicet, Lucianum, & Hesychium, utpote Arianismi suspectos, hunc locum studio omis-
sisse. Regerebam ego, Arianismum latius sese diffudisse in occidente, & tamen hunc locum in cunctis ferè codicibus latinis reperiri. Præterea testimonium hoc non allegari a Patribus orthodoxis contra Arianos. Sed ad hæc frigidè tantum respondit. Intromisit nos postea in bibliothecam Huetii, quam doctissimus episcopus Testamento reliquerat collegio Jesuitarum. Et denique in communem collegii bibliothecam introducimur, cujus magnam partem faciunt libri Ægidii Menagii, ab eruditissimo Autore dono dati. Est etiam Turneminus vir miræ festivitatis. Cum interrogarem, quid sentiret de Patris Castellii organo oculari, (nam eodem tempore meditabatur prædictus Castellus novum instrumentum, quod repræsentatione colorum eundem effectum visui produceret, quem organum musicum auribus) subrisit ille, dicens, se ad imitationem meditari organum musicum gustui, commentiq; sui participem fecisse illustrem musicum Mercatorem (*Marchand*) cui
mirè

mirè placuit commentum istud, utpote musico famelico utilissimum. Non ita multò post ipsum Patrem Castellum adibam, exploraturus; an seriò id meditaretur, an verò lusus tantum ingenii esset? At ille secundum litteram intelligenda ea esse affirmans, sigillatim omnia exposuit. Sed tanta est ingenii mei hebetudo, ut adhuc nesciam, quid sibi velit ingeniosus vir cum isto commento: nam, si nulum alium effectum producat, quam organa ista iocularia, quæ circumforanei vocant *Spielwerck*, non agnosco inventorem.

Vidi etiam celeberrimum Fontenellium, cujus non modò languida & iners non est senectus, sed semper aliquid molitur, ac uti ait poëta:

Serit arbores, quæ alteri seculo profunt.

Habuerat nuper orationem in Academia scientiarum in laudem defuncti Magni Imperatoris Moscoviæ, quam ipse valetudine impeditus per amicum enunciari curaverat. Sed nonnulla in nomen Russicum acerbius dixerat, ut eò altius extolleret heroem suum, utque monstraret, quantæ molis esset gentis horridæ adeo ac incultæ reformatio. Id quod Princeps *Curakin* Legatus Russicus ægre ferens negotium eo nomine Fontenellio faceffiturus credebatur. Avidus ego eram noscendi, an

panegyricus, ita ut dictus erat, imprimeretur? At ille affirmabat verbum de verbo, uti enunciatus erat, typis evulgandum fore. Magnifice Fontenellius etiam de meritis Danorum in re literaria loquebatur.

Non à veritate aberrant ii, qui credunt, plures Parisiis esse bibliothecas, quàm in integris regnis alibi: Nam præter tres illas publicas, Mazarini, St. Victoris, & Jure consultorum, quodvis fere cœnobium, quodvis Collegium sua gaudet bibliotheca peculiari, cujus beneficio facile fruare. Frequentitaveram olim instructissimam Bignonii bibliothecam; sed jam disparuerat una cum bibliothecario suo: Bibliotheca quidem in Angliam transmissa erat ab illustrissimo Lawio ejus emptore: bibliothecarius verò in carcerem publicum abstractus aliquot annos ibi torpuerat. Nondum satis exploratum habeo, quodnam fuit Bormanni delictum: valde tamen me doluit fors illius nomine gentis Danicæ, de qua verebar nè male sentiret celeberrimus Bignonius, imprimis, cum non ita multò post alius ex popularibus nostris nomine Matthias Baggerus, postquam beneficio Bignonii factus fuerat interpretes in bibliotheca regia, prænumerato stipendio tacitus aufugit. Meretur equidem vita equitis hujus errantis typis vulgari, ut
 exem

exemplum detur ingenii maximè vagi & inconstantis: lubens ego scriberem, si subsidiis instructus essem; sed particulæ tantùm aliquot rerum gestarum Tigelli nostri Danici mihi notæ sunt, quæ tamen solæ exemplar fluctuantis ac temporariæ indolis abundè expriment, monstrantq; sedem, sacra animum studia, mores, vestium instar, mutare, imaginemq; veri perpetui mobilis exhibere.

Cum decem abhinc annis Parisiis essem, credidi duas tantum ibi esse bibliothecas publicas. Nam ignota mihi tunc temporis erat bibliotheca Jureconsultorum, quæ exigua quidem, sed valde commoda est, utpote in meditullio urbis posita, itaq; disposita, ut ipse libros manu capere possis. Duos tunc temporis bibliothecarios habuit, adolescentem septendecim circiter annorum & vetulam, quæ, dum alii studebant, ipsa lanam pollice ducebat. Perlustrantem me bibliothecam interrogabat eadem vetula, quem librum quærerem? Risum ego vix tenens respondebam, custodi bibliothecæ me id indicaturum. At, cum persisteret interrogare, nominavi autorem meum, quem illa statim depromsit, mirantiq; mihi porrexit. Bibliothecarius St. Victoris vocabatur *Bonus amicus*, & respondebat nomini; Nam affabilem admodum

dum ac officiosum reperiēbam. Occasio quædam ludicra ansam dedit subsequētæ inter nos familiaritatis. Nam, cum inter historicos Danicos viderem librum, cui titulus erat : *Ludovici Requezensis Historia Danica*, Bibliothecarium adii, petens, ut copiam mihi faceret ejusdem libri, quem ob titulum valdè suspectum habebam, cum autor iste Ludovicus Requezensis mihi planè ignotus esset. At, apertò librò, detegitur error ; Meursii erat historia Danica, cui in eodem volumine subnexa erat vita Ludovici Requezensis per eundem autorem : Æque ridiculum titulum olim vidi in catalogo bibliothecæ Bodleianæ sc. *Friderici II. Imperatoris Constitutiones Hafniæ.*

Aperuit nobis bibliothecarius thesaurum librorum manuscriptorum, quorum ibi ingens & selectus est apparatus; nam aderat tunc mecum nobilissimus Tottius, Consilarii intimi Tottii filius, vir non minus vitæ integritate ac solida eruditione quam majorum imaginibus clarus. Præter privatas ac publicas bibliothecas, quæ extraneis patent, dantur innumeræ Societates eruditæ, in quas unusquisque levi commendatione munitus facile recipitur. Interfui congregationi cuidam, quæ quavis die dominica habetur apud Patrem ordinis oratorii. Recitabantur ibi opuscula quædam raro-

rariora totâ septimanâ a sociis collecta, de quibus
 iudicium suum unusquisque protulit, cura-
 riusque quâ universitatem, quâ partes exa-
 minavit. Crederes te in societate quâdam
 protestantium esse, tanta est loquendi libertas,
 exigua adeo Pontificis Romani ratio habetur,
 in quem multa acerbè dicunt. Interdum
 etiam frequentabam societatem κατ' ἐξοχήν di-
 ctam elegantiorē, quæ habetur in loco quo-
 dam vulgò dicta *le Cafée des beaux esprits*. Dico
 interdum, ne sæpius eundo viderer titulum
 captare ingenii elegantioris. Hospita ejus-
 dem domi vetula quædam erat nomine *Ma-
 rion*. Hinc locus iste per jocum dictus fuit *Le
 Cafée des Marionettes*. Illustris de la Mothe,
 cujus in studiis elegantioribus magnum est
 nomen, quavis fere die hanc domum frequen-
 tabat, præsidemque agere videbatur. Hæc &
 alia reputans non miror, tantum quovis anno
 egregiorum operum proventum esse in Gal-
 lia, ubi in ejusmodi doctis societatibus libri re-
 citantur, examinantur, corriguntur, expo-
 liunturque antequam publici juris fiunt.

Fatentur tamen ipsi literati Parisienses, artes
 liberales non parum hoc seculo apud ipsos de-
 trimenti passas. Triplicem hujus decrementi
 causam attulit celeberrimus Turneminus pri-
 mam Juventutis institutionem, quam sibi hodie

die maximam partem vindicant sacerdotes, & cum hi philosophiæ ofores sint, sufficere judicant Ministerii candidato, ut sciat decenter genua flectere, hostiam extollere ac murmura edere dum administrat sacrificium missæ, uti apud Russos olim sacerdotalia munera ambientibus sufficiebat uno spiritu decies contorquere hæc verba : *hospodi pomilio* ; sed non absq; studio partium hæc dicta esse arbitrabar, cum Rev. Patres Soc. Jesu sibi solis pædagogiam vindicent. Altera quam adduxit causa erat dissoluti juventutis mores, ac gulæ intemperantia : sed neqve hæc ratio in solidum mihi satisfecit, licet fatear videri mihi sacrificia Bacchi crebrius celebrari apud Parisienses, quam decem abhinc annis. Tertia quam allegabat causa scil. stipendiorum diminutio maximi ponderis mihi visa est ; Nam certum est præmia non parùm decrevisse ab obitu Ludovici XIV. In propaganda religione Romana, ac convertendis hæreticis solito remissiores mihi tunc visi sunt Parisienses, cum tamen decem abhinc annis totum illud tempus, quod Parisiis exegi, perpetua esset disputatio : sed juvenis tunc eram, quem forsitan ob lubricitatem ætatis laqueis facilius involvi posse credebant. Semel tantùm religionis nomine negotium mihi facebat senex quidam, cui ingens erat
dispu-

disputandi pruritus. Quærebam ego, antequam galeam induerem, an novi aliquid afferret, quod in libris impressis non reperitur? Nam, si iisdem telis uteretur, quibus alii sectæ Romanæ propugnatores, supervacaneum esse laborem, cum argumenta eorum satis mihi nota sint. Illo vero negante suppliciter precabar, ut voci ac lateri parceret; nihil enim stolidius esse ajebam, quam post tot certamina, tot rixas, quibus oleum ac operam frustra insumpserunt fortissimi athletæ, novam belli aleam tentare. At, cum manus illi prurire animadverterem, nullumquæ fugæ locum relictum viderem, novô & insolitô pugnæ genere adversarium adortus sum. Fingebam plerosquæ articulos fidei, quam profitentur Protestantes, cum diversè interpretetur scriptura, problematicos esse, ideoquæ fieri posse, ut in errore interdum versentur. Sed ipsos errores dicebam Deo ingratos esse non posse: stupentibus cunctis, qui aderant, noscendiquæ avidis, quorsum evaderet oratio adeo paradoxa, ita dicere exorsus sum: Credunt Pontificii, bona opera esse meritoria, & forsitan ita sunt: Sed tutius credunt Protestantes nil mereri. Sicuti enim Princeps non irascitur subdito, qui licet multas res præclarè gesserit, nulla tamen agnoscit propria merita, protestatur in super, præ-

præmia, quæ ob operam navatam conferuntur, se non accipere tanquam sibi debita, sed e sola Principis gratia : ita error iste Protestantium, qui tantam humilitatem præ se fert, non potest non Deo esse acceptus. Credunt Pontificii purgatorium, & forsitan est locus aliquis intermedius, ubi expiantur peccata : Sed tutius credunt Protestantes, reddendam statim post mortem esse rationem vitæ antea actæ. Ac proinde jubent cautè ac providè in hac vita calculos ponere sancteq; mori, cum nulla post mortem sit spes remissionis peccatorum. Sanctos invocant Pontificii, quos intercessores credunt, & forsitan intercedunt, sed tutius non invocant Protestantes, nam, si vel errent, error iste, neque Deo, neque ipsis sanctis potest esse ingratus : Non Deo, qui rectà ad fontem tendentes non potest non benignè amplecti; cum ipse accedere jubeat, cumq; testetur, se precibus crebris non fatigari, neque ipsis Sanctis, quos tanquam itineris duces optimos cautè & obedienter sequimur, solum servatorem mundi intercessorem agnoscendo : Nam, si ob invocationem solius Dei irascantur sancti, disinunt statim esse sancti. Imagines colunt Pontificii, & forsitan cultus earum innoxius est : Sed tutius more sanctorum ad cælum palmas tendunt Protestantes ; nam, licet, conce-

cedamus, iconolatriam Pontificiorum multum distare ab iconolatria gentilium; attamen, si quis humi prostratus ante colossum St. Christophori eodem tempore iconolatriam Sinensium execratur, parum differre videtur ab ebrío, qui contra gulæ intemperantiam patheticè declamat. Communionem sub utraq; non necessariam credunt Pontificii, & forsitan non semper necessaria est: Sed tutius necessitatem utriusq; symboli statuunt Protestantes, cum sacramentum istud ab ipso divino Institutore sub utraqve celebratum fuisse adversarii non negent. Infantibus ante Baptismum mortuis portas paradisi occludunt Pontificii, tutius recludunt Protestantes, ne videatur Deus infantes plectere: Nam, qui infantium pœnas statuunt, statuant simul, necesse est, mundum non a justo prudente ac misericorde rectore, sed fato regi. Pondus hujus argumenti agnoscunt ipsi Pontificii in controversiis de absoluto decreto cum Jansenii sectatoribus. Lectionem sacrae scripturae laicis prohibent. Pontificii dicunt ansam erroribus dare, & forsitan dat. Sed tutius permittunt Protestantes, cum melior sit erronea fides quam nulla: nam qui absqve examine credunt, nil credunt, nisi fortè dicamus locum hic habere axioma istud
in

in jure: quod quis per alium facit, ipse fecisse dicitur, & credere per mandatarium, idem esse, ac si ipse credas: sed vereor ne male calculos ponat Laicus Italus vel Hispanus, cum Deum, rationem fidei exigentem, tali responso propitium sibi facere cogitet: *Credebam ad amissim omnia, quæ, crediderunt ii, qui in eadem platea mecum habitabant: nam librum istum, qui fidei normam complectitur, nunquam videre mihi contigit: sed sufficit quod viderint nonnulli ex municipalibus meis.* Facilius credo errores suos excusatum alium ejusmodi verbis: *Hæc sunt, quæ habitò examine ac positis seriò calculis credenda existimavi.* Obmutescente ad hæc adversario ac consilium in capillis quærente, pergebam ita fari: videtis quam liberalis erga vos sum, concedo, pleraque quæ creduntur, problematica esse, concedo, difficile esse interpretari legem Divinam; imò, quod vultis, obscuram esse totam scripturam, adeo ut, adhibitò omni examine, verum voluntatis divinæ sensum semper erueri nequeamus: neque dico ab errore nos esse immunes, sed si erremus, absque discrimine nos errare: at si in tenebris versentur Pontificii, tenebras esse, quæ præcipitia minantur: Nam si bona opera non sint meritoria, sique ex sola gratia nos salvari velit Deus, non absolvi possunt Pontificii à crimine fastus ac jactantiæ, dum,

dum, quæ merè gratuita sunt, jure sibi deberi contendunt. Porro si dogma de purgatorio figmentum sit humanum, nulla erroris adduci potest excusatio, cum imperfectionem quamdam inferat satisfactionis Christi, in cujus subsidium locus hic intermedius fingitur: ut taceam dogmatis hujus effectus, qui æquè exitiales sunt generi humano ob securitatem, quæ naturaliter exinde fluit, ac proficui ærariis Præsulum ob immensos, quos afferunt, redditus. Si in sanctorum invocatione cespitent, graviter etiam cespitant, cum cultus, qui soli Deo debetur, alii reddantur participes. Præterea sancti, quos invocant, aut re verà sunt Sancti, aut entia imaginaria, quæ in rerum natura nunquam extiterunt, aut impostores; si revera sancti sint, non tollitur periculum distinguendo inter cultum religiosum & civilem: nam consecrationes templorum, vota, quotidiana supplicationes, imaginum ipsorum cultus ad minimum semideos efficiunt. Si non entia sint, uti decem mille martyres, St. Almanachus, aliiq; quorum nomina ipsi sagaciores Pontificii e catalogis sanctorum expunxerunt, cultus est stolidus ac ridiculus. Si impostores fuerint, pejor est cultu Indicò, cum apud Indos malis spiritibus, heic verò sceleratis hominibus litetur. Porro si cultus

ima-

imaginum error sit, nota idololatriæ vix effu-
 gitur, ac frustra gentiles in jus vocant Ponti-
 ficii; nam parum interest, si sub tauri, vel sub
 aureisimulacri specie Deum adorem: si errent
 proscribendo infantes ob privationem bap-
 tismi, non leviter iterum errant, cum infan-
 tium proscripcio non sit justis iudicis. Denique si
 communio sub utrâq; sit necessaria, furtum
 committitur, & si lectio scripturarum, fides,
 quæ absq; notitia nulla est, inter laicos exulat.
 Hinc liquet, aiebam, parùm securitati suæ
 prospexisse Henricum IV. dum in re dubia tu-
 tiorē partē secuturus in castra Pontificio-
 rum transfugit. Attamen hæc omnia non
 absq; interruptione enuntiabam: nam reges-
 sit per intervalla Adversarius nonnulla de an-
 tiq;vitate Ecclesiæ Romanæ, de novitate Sectæ
 Lutheranæ, de impossibilitate errandi, de pro-
 misso factō St. Petro, & id genus alia, quæ af-
 ferri solent, cum res ad triarios redierit: Sed
 certus ego triumphū, si in thesi permanerem,
 extra orbitam vagari non passus sum. Jubebam
 modò allatos protestantium errores ad exa-
 men vocare, si iustitiæ ac misericordiæ Dei
 adversentur, si Majestatem summi Numinis
 minuant, si metum Dei, si pietatem tollant. Ad
 quæ, cum nihil reposuit, discedens ego hæc di-
 xi: *cur igitur ferro & igne persequimini homines in-
 melius aberrantes.*

De

Defunctus hōc certamine a nemine postea religionis nomine Parisiis inq̄vietabar. Sed in reditu haud procul Bruxellis, cum iter faciens inter loqvacem centurionem & superstiosam vetulam fortè sederem, mentio miraculosæ conversionis militum aliquot protestantium suæ centuriæ injecta est a centurione: Idem, cum audiret, me non eandem fidem habere dictis illius, qv̄am cæteri vectores, protestantem me suspicans, statum præliantis composuit. Pacem ego humillimè petebam, dolorem capitis, qv̄ô vexabar, causatus, cum inconsultum ducerem descendere in certamen cum illis,

Quos arma tegunt aut balteus ambit.

At neqve pacem neqve inducias impetrare poteram : nam inani verborum syrmate pertinaciam meam expugnare tentabat. Ego verò tenax propositi ad vetulam conversus de aëris temperie fabulari incipiebam. Illa ex vultu meo animum stomachantem perspiciens convictum mea centurione rata extremam conversioni meæ manum imponere tentabat ineptis corollariis ac longa miraculorum serie, in qv̄orum fidem testem provocabat bardiacum judicem, qvi miraculorum prodigus ipse crassissimas Vetulæ fabulas juramento castrensi non modò confirmavit, sed & novas in

M

inp.

supplementum addidit. Hinc ut molestis his nugis finem imponerem, fabulas ipse finge-
bam, commentus miracula nuper in patria mea facta : dicebam inter alia, gravidam matro-
nam, quæ patriæ sacra ejuraverat, fœtum bici-
pitem enixam, aliam in ipso abjuratiōnis actū
in silicem transformatam, præterea labi quot-
annis de nubibus epistolas Angeli Gabrielis
manuscriptas, quæ a sacris Romanis nos de-
terrent, & id genus alia. Hinc palam se deri-
deri cernentes

Conticuere omnes iratique ora tenebant,
& ego absq; ulteriore molestia reliquum iti-
neris confeci.

Hyemem Parisiis exigere decreveram, edo-
ctus experientia cœlum istius loci constitutio-
ni corporis mei valde beneficum esse. Huc
accessit, quòd cum fallendi temporis gratiâ
duas ex comœdiis meis in gallicum idioma
vertissem, amici mei operæ pretium ducerent
periculum facere, quamnam sortem habe-
rent exhibitæ in theatro Parisiensi. Sed varia
occurrerant obstacula, quæ a proposito me a-
vocarunt. Nam (1) circa finem septembris
ambo greges Comœdorum Fontisbella-
queum evocati sunt, ubi usque ad Festum Na-
tivitatis hæserunt, & cum mense Februario iti-
neri me accingere coactus essem, spe ista deci-
di,

di non permittentibus temporis angustiis manum admove-
re operi, quod aliquot menses ad minimum postulat. Tentabam modo per amicum Fontisbellaqueum mittere argumentum *Stannarii politici*, ut explorarem iudicium Gregis Italici de eadem comœdia. Rescripsit Dux ejusdem Gregis Dn. Lelius comœdiam istam sibi videri mirè festivam & elegantem (*tutta meravigliosa*) sed aliâ mox epistola declaravit, argumentum fabulæ tanti esse ponderis, ut vereretur, ne calumniandi ansam daret quasi fatyra in certos optimates directâ esset, de quibus dici poterat illud poetæ:

— — *factus de Rhetore Consul.*

&, licet amicus meus scrupulum illi eximere tentaret, monstrando, tela ista tantùm torqveri in plebem, perstitit tamen in metu semel concepto. Interea argumentum ejusdem comœdiæ innotuit certo cuidam auctori, qui alieno vitulo arare solet. Idem fabulam ejusdem indolis Lelio obtulit: sed ille neque hanc ob eundem scrupulum exhibere ausus est; circumscripta adeo hodie est dicendi libertas, quam in antiquo grege Italico tantopere mirati sumus, quæque tempore Lud: XIV. anima istius theatri erat. Vix exprimere possum levitatem eorum, quibuscum mihi res erat: Nam, licet sub fide silentii argumentum istius fabulæ comuni-

eatum esset paucis, quos secreti capaciores judicaveram, tota tamen res prædicto auctori prodita erat. Ipse etiam Lelius contenta fabulæ narraverat comædis quibusdam Gallici gregis, qui, ut impedirent, ne Italis, quibus infensissimi sunt, cederetur, per unum e corpore eorum clam admonuit, paràm me rebus meis consulere, tradendo Italis tanti momenti fabulam. Dum hæc aguntur, labitur tempus & in procinctu itineris ego stabam.

Alterum obstaculum erat corruptus Parisiensium gustus, qui autores & poëtas ad magna haud raro surgentes veluti pestilenti quòdam sidere afflat, hinc per aliquot annos nulla sani coloris comædia enituit: testantur omnes tantam hodie esse judiciorum perversitatem, ut, si ipse Molerius in vivis esset, vel eam, quæ inter comædias ejus optima censetur, explosam fore, ac plerasque non nisi propter centum annos hodie stare. Experientia didici, vera eos loqui, cum viderem per integrum mensem, exhibitis optimæ notæ comædiis tristem in theatro Gallico solitudinem; ingentem vero hominum confluxum, quoties ludebatur insulsissima fabula dicta *le Roi des Coquaines*, choreis, cantilenis ac præstigiis magicis deformis, dignaque quæ ad circumforaneos relegaretur.

3. Invidia, quæ inter utrumq; Gregem regnat, in apertum bellum eruperat Fontisbella-quei, adeo, ut reduces Lutetiam facti fœdis ac acerbis satyris se invicem dilacerarent. Galli in opprobrium Italorum fabulam exhibuerunt, cui titulus : *Impromptu de la folie*, quæq; secundum genium Parisiensium gesticulationibus, cantilenis & saltationibus constabat. Itali in sumenda vindicta nunquam segnes duabus ejusdem fere indolis comœdiis injuriam sibi illatam vindicabant. Integer fere mensis huic bello insumptus est.

Porro ab incepto hoc me dissvaserunt insulsæ quædam regulæ theatri, quas Galli hodie adoptarunt, (1) ut fabula moralis sive critica uno tantum actu absolvatur, cum cunctæ meæ in 5. vel ad minimum in tres actus descriptæ sunt, (2) ut nulla plebejæ fortis persona in scenam prodeat. Hinc, si luderetur stannarius Politicus, necesse mihi foret opifices transformare in doctores, advocatos aliosq; non infimi ordinis homines. Quô factô comœdia ista, cujus satyra in infimum plebem collineat, omnem vim ac energiam perderet, cum doctores, advocati, & id genus alii homines solidè interdum ac scitè de rebus publicis judicent, cumq; operâ eorum non rarò utantur ipsi Principes, ac Rerumpublicarum Modera-

tores. Alter etiam hujus fabulæ scopus, cum monstrat fastum ac impotentiam eorum, qui è fordidis initiis ad summa crescunt, penitus periret. Hinc habitu Parisiensi induere istam comœdiam nihil aliud esset, quam festivam simul ac moralem fabulam in languidam ac infulsam transformare. Regulas verò istas à Parisiensibus adoptatas non sanò judiciò, sed corrupto spectatorum gustu niti, exinde patet, quod sc. contra decorum non judicent, si in scenam producantur servi ac rustici.

Parisiensibus idem accidit, quod iis, quibus continuus perdicum esustantam earum nauseam peperit, ut solum odorem ægre ferant. Nam fabula, quinque actibus constans, bene cohærens ac insigni catastrophe ornata, fastidium illis movet. Verbò, quò major partium est harmonia, eo magis videtur dissona auresque ferit. Ad examen vocaturus plerasque ex hodiernis comœdiis nullo negotio monstrarem, non solum deformes esse, sed ne minimam quidem similitudinem comœdiæ habere. Dum Parisiis eram, prodierunt diversis autoribus duæ fabellæ *le Babillard* & *Lindiseret*, sed tantum abest, ut ad regulas Aristotelis efformatæ sint (nam protasis, epitasis catastrophe sunt hodiernis scriptoribus comicis terræ australis incognitæ, ut ne characterem quidem, quem

pro-

promittunt, exprimant, nisi veram imaginem garruli credas te exhibere, cum inducas hominem loqvacitate semel in conversatione molestum, aut imaginem hominis secreti incapacis, si quis semel vel bis ea, quæ sub fide silentii commissa sunt, prodat. Nam hoc tantum debet esse argumentum unius scenæ. Verus character exprimitur, si heros fabulæ ita repræsentetur, ut neque metus, neque vis neque ignominia mederi possint stultitiæ ejus, ex qua insignis aliqua catastrophe tandem nascatur, quæ spectatores suspensos diu tenuit. Sed Garrulus hujus fabulæ inducitur blaterans semel inter amicos, donec seruus vel amicus tandem intrat, nuncians, dum inutili sermone tempus terit, occasionem egregiam rei bene gerendæ perdidisse. Hæc tamen fabulæ comparatione cæterarum splendidæ mihi visæ sunt: nam quæ secutæ sunt: *Impromptu de la folie* & *les amusemens de l'automne* à sanioribus criticis indignæ judicatæ illustri adeo theatro egregiisque adeo comædis, qui, quoties solertiam adhibent, spectatores in admirationem sui rapere possunt.

Quod ad Comædos gregis Itali attinet, cum Italico idiomate luditur fabula, haud spernendi sunt. At quoties agitur lingua Gallicâ nauseam spectatoribus movent. Nam præter

uxorem Lelii nemo est in toto isto grege, qui tolerabiliter benè enunciat lingvam Gallicam. Hodiernus Arlequinus non nisi personam Mopsi agere potest. Igitur si successum in theatro habeat fabula, necesse est, ut heros sit Mopsus. Hinc omnes fere hodiernæ comœdiæ quasi eodem cibo pascuntur ejusdemq; indolis sunt, ut *les amans ignorans*, *Arlequin poli par l'amour*, *Arlequin sauvage*, *Timan Mesantrope* &c. Eandem etiam ob causam nulla ex antiquo theatro fabula cum successu ludi potest: Nam tantum abest, ut insignes adeo in hoc grege sint pantomimi, quales vetus Arlequinus, Scaramuccius, quin hodiernus Arlequinus nihil aliud agat quam circumforaneorum pollichinelli. Sustinent tamen hoc theatrum parodiæ in novas tragœdias gallicas factæ: Nam nonnulli ex isto grege gestus ac voces comœdorum gallicorum mira similitudine exscribunt. Parodiæ inventa satis lepida sunt, mireq; me delectarunt. Sed fabri isti parodiarum in excessu hodie peccant, faciuntq; ut propter nimiam earum copiam id genus scribendi vilescat. Nam tota hodie civitas parodiis personat, urbs, suburbia, theatra & fora; Tanta earum nausea non paucos jam dudum cepit, ut ad solam novæ parodiæ mentionem frontem contrahant: Sed longiùs me deduxerunt

xerunt spectaculorum Parisiensium examina: Expectas forsitan a me, Vir Illustrissime, ut de rebus etiam aulicis non nihil loquar. Si cum juvene aut viro aulico mihi res esset, sigillatim omnia ad statum aulæ pertinentia exponerem, accurato penicillo delinearem formam ac indolem Regis, Reginæ, Principum regii sanguinis aliorumq; Purpuratorum, narrarem delicias aulæ, spectacula & id genus alia, quæ nunquam mihi videre contigit, ne fortè mihi objiceretur obscuram vitam in Gallia duxisse, eaq; neglexisse, quæ sola e sedibus suis cient ac in Galliam attrahunt alios; at, cum epistola hæc scribatur amico, & quidem philosopho, non dubito rotundè fateri, me neque Versaliam hac vice neque Fontisbellaqueum vidisse. Sed hæc sub fide silentii dicta sunt: Nam, si quis alius ejusmodi rerum narrationem a me exigat, dicam Regem mihi visum egregiæ formæ, hilarem ac robustum, Reginam mitem, piam ac clementem, Ducem Burbonensem subnigrum ac gravem, Ducem Aurelianensem ad Parentis imaginem expressum. Quis enim mendacii argueret? nam vera ea sunt, sed quæ famâ accepi.

Exactâ Parisiis hyeme, reditum in patriam meditor. Integrum fere mensem ante susceptionem hujus itineris ingenti sollicitudine ex-

cruciabar, ac si ad Indos eundum foret. Quæ secuta sunt incommoda, si singulorum ratio habeatur, vix relatu digna videntur, si verò cunctorum, non adeo levia sunt, animumque præfagientem indicant. Nam (1), cum in procinctu itineris starem, prodiit Edictum Regium, quo sub gravi pœna sancitum fuit, ne ulla moneta sive Galliæ sive aliorum regnorum e regno exportaretur; omne verò aurum & argentum ad thesaurum Regium deportandum esset cum jactura quadrantis. Hinc argentum, quod itineri Amstelodamum destinaveram, tantum decrementi passum est, ut vereretur ne nummis destitutus pallium in itinere oppignorandum esset. Igitur iter accelerare cogebatur, medioque mensis Februarii Parisiis profectus sum vehiculo, quod in Artesiam ducit. Duo sunt, quæ viatori non satis bene numato in itinere maximè metuenda sunt, aut Monachi vulgò dicti Capucini aut virgines. Illi ordinis, hæ verò sexus privilegio cæterorum vectorum sumptibus aluntur. Ascendens currum duas haud vulgaris formæ virgines conspicio, ad quarum visum trepidabam, præsertim cum e regione sedentes viderem duos centuriones, quorum nutus, niçtus ac blanda cum virginibus colloquia jacturam quadrantis ærarii mei minitabantur, & cum

ex-

experientia didicerim, quanta sit Martis in
 Venerem propensio, quantoque studio numina
 ista a militibus colantur, conjiciebam haud
 passuros centuriones nostros, ut nobilissi-
 marum istarum creaturarum ratio haberetur
 in sumptibus faciendis. Neque sefellit conjectu-
 ra; nam ad prandium aut cenam invitatae lu-
 bentes condicebant, & cum solveretur, aut
 habitu, aut silentio privilegium sexus indica-
 bant. Biduum his legibus Respublica stabat.
 At cum positis calculis viderem me diutius in
 societate ista remanere non posse, nisi forma
 regiminis mutaretur, alteri Centurionum
 statum ærarii mei indicavi. Hinc vetus lex
 antiquata fuit, novaque lata, ut pro se quisque
 solveret. Ad vicum quendam haud procul
 Perona ventum erat, cum mensam ego ad fo-
 cum admoturus ossifragium ferè passus sum:
 crederes automaton esse, studio ita factum, ut,
 si quis tangeret, digito truncaretur: quippe
 annularis meus tanquam sub incude pressus
 nulla vi extrahi poterat, & dum socii mei quæ-
 rebant securim, quæ compagem tabulatorum
 dissolverent, integrum ferè horæ quadrantem
 eadem passus sum, quæ ii, qui tormentis subji-
 ciuntur. Non ita multò post, cum e curru de-
 scenderem, pedibus iturus per semitam, quam
 tanquam itineris compendium mihi monstra-
 vit

vitauriga, a via aberro. Post longum errorem dubiis jam sideribus rusticum tandem obvium habui, quo duce in semitam reductus eqvos conducere coactus fui Balmam usque. Eqvum nactus sum macilentum ac strigosum specieq; eum, qui ad molam proscriberetur, sed ferocem adeo inveniebam, ut vererer quovis momento, ne me excuteret, ac ex eqvite peditem elumbem faceret. Hinc vim horridi, qui ingravescere coepit aqvilonis, vix sentiebam, sudans scilicet timore, ac verens, ne cum clade ac ignominia ex ordine eqvestri removerer. Tandem Balmam ventum est, ubi socios itineris reperiēbam, quibus hanc malorum seriem pathetice exposui. Porro Amstelodamum cum venire, literæ, quas e patria expectabam nondum allatæ erant. Hinc numis destitutus anxie ibi octiduum exegi: invenit tandem veterem amicum, a quo aliquot aureos mutuo sumpsi. Absumptis Amstelodami duabus septimanis tandem affertur epistola, sed longè alia, quam expectaveram. Scripta erat ab amico, qui consilium mihi dedit accelerandi itineris, cum inimici mei insidias absenti struerent. Hæc a me afferuntur non alium in finem, quam ut monstrem, concatenata semper esse mala, quæ mihi eveniunt, molestiamq; molestiæ nexam aliam ex se gignere

re, cujus rei innumera alia exempla in medium proferre poteram, quæ, licet causa fiant, tamen ut casus non videntur. Qui Lutetia Bruxellum eunt vulgò per Montes Hannoniæ iter faciunt: Credunt enim viam corripiendo sumptibus parcere. Sed longè commodius & minori impendio itur per Insulas: plures hîc etiam occurrunt civitates visu dignæ, ut Balma, Atrebatum, Duacum, Insulæ, Corteriacum, Menina, Gandavum, quæ civitates non nisi aliquot horarum itinere a se invicem dirimuntur. Et, cum ego non minus hominum quam terrarum varietate delector, majori cum voluptate iter facio per Insulas, ubi quovis die nova rheda, novique vectores. Jam enim comites itineris sunt Galli, jam Angli, Hispani & Germani; jam milites, jam literati. Integrum biduum socium itineris habui senem, qui latrocinia in India Occidentali quatuordecim annos exercuerat (vocant id genus hominum *Flibustiers* sive *Boucaniers*.) Solidè de hac societate differuit idem senex, multa; ab eo edoctus sum, quæ in historiis impressis aut desiderantur, aut non satis perspicuè exponuntur. Miranti mihi, virum probum ac optimæ indolis (ita enim mihi apparuit) scelestum id vitæ genus amplecti potuisse, respondebat, puerum se societati huic

nomen dedisse, cum quid justum, honestum ac decorum erat ignoraret; Sed quam primum pubertatis annos excefferat, ei vitæ generi renunciaffe. In eodem itinere obvium semel habui aliud vehiculum tempore prandii. Ad curanda corpora omnes intravimus stabulum. In alterò illo vehiculo duo erant Germani, totidem Galli, unusq; Hispanus. Germani quicquid in culina erat carnis elixæ atq; affatæ deposcebant, Gallis aliquot tantum ova apponebantur, Hispanus verò ad fenestram accedens solo aëre vescebatur. Ita unusquisque characterem gentis suæ expressit: Nam Hispani spirituum instar neque bibunt neque manducant. Tres integras septimanas Amstelodami trahebam, intereaq; temporis tanquam in secessu vivebam in celeberrimo isto emporio: nam, cum solus colitur Mercurius, nulla Minervæ ratione habitâ, tristem ibi vitam agit literatus. Celeberrimum tamen Johannem Clericum bis adii, quem licet senio canum, neque animi neque corporis viribus destitutum inveniebam. Inclusi semel ab ancilla fuimus, & fateor nullam mihi gratiorem fuisse custodiam; Nam, dum expectamus reditum ancillæ, quæ januam referaret, doctos invicem sermones miscemus. Ignotum erat nomen eruditissimi viri etiam in eo urbis vico ubi habitat;

bitat : id quod ægre ferebam ; nam si quæras
Jacobum Trapezitam, Cornelium Fullonem,
Ephraim Judæum, Adrianum Nauclerum,
aliosq; ignobiliores homines, qui vel

— — *fracta de merce silures*

vendunt, digito statim monstrantur. Al-
latis demum, quas diu Amstelodami exspecta-
veram, literis proficiscor Hamburgum per
Frisiam Orientalem. Multa in hoc itinere au-
diebam de turbis, quibus tunc temporis agita-
batur Frisia, imprimis Urbs Lyra; sed, cum ex-
perientia edoctus fuerim, famam in majus rem
extollere, omnis periculi securus iter profe-
quor. Circa meridiem Lyram intrabam, ubi
omnia belli strepitu personabant : videbam in
aciem ordinatos incedere milites, tormenta in
foro disposita, plebem armatam per urbem dis-
currere, rusticos cataphractos, fudesq; ferro
præfixas, aliaq; ignota, barbara & fortuita
tela portantes cædem ac sanguinem spirare.
Hinc in perversa adeo civitate diutius manere
stultum judicans, vehiculum subito conduco
curatoq; paulisper corpore, civitate egredior.

Hæc ut intelligantur, nec esse altius & è
fonte rem repetere. Non dubito, Vir Perill:
quin tibi notum sit, doctissimum Ducis Frisiæ
Consiliarium aliquot abhinc annis historiam
Frisiæ in duo volumina descriptam edidisse.

Mon;

Monstrat in hoc opere perillustri Breneyssen, ab ordinibus Frisïæ labefactata esse jura Principum contra Imperatorum decreta, quæ operosius examinat inq; favorem Principis sui explicat. Hinc ab ordinibus fax & tuba hujus belli censetur. Mirantur non pauci, neminem refutationem hujus operis tentasse. Dicitur e quidem doctus quidam Batavus spartam hanc in se suscepisse, aliamque huic è diametro oppositam historiam ordinibus obtulisse: sed, cum de præmio pro labore solvendo conveniri non potuerit, suppressisse. Quicquid sit, nullam typis vulgatam hujus operis refutationem hætenus vidimus. Quænam verò sit hujus silentii ratio, an ignorantia aliorum Frisïæ Jureconsultorum an diffidentia causæ, id liquido dicere nequeo. Post aliquot annorum disceptationem ac mutuam diffidentiam eò demum res processit, ut abolito veteri ordinum senatu Emdæ, novus institutus fuerit Aurici. Hinc actum de libertate clamantes arma ceperunt Frisii. Qui a parte Ducis stant nihil aliud intendere ajunt Principem, quam ut publicæ pecuniæ rationem reddant ordinum administratores. Qui vero ordinibus favent, prætextum esse ajunt, quò utitur prædictus Breneyssen ad stabiliendam eam, quam diu meditatus est, mutationem status, & ut eo
for.

fortius exasperentur animi, persuadent plebi, conclamatum etiam esse de religione reformata in Frisia, nisi masculè his machinationibus obviam eatur. Sedes turbarum diu fuit Embda mox Lyra, in qua urbe superiori anno pugnatum acriter ac non absq; cæde civium fuerat. Jam verò missi à Duce Frisiæ erant aliquot milites ad occupandum locum haud procul Lyra. Id ægrè ferentes Lyrenses habitò civium ac rusticorum defectu urbe egressi sunt armati, ut eosdem milites inde pellerent. In procinctu jam stabant, cum urbem ego intrarem.

Conducto, uti superius monstratum est, vehiculo, statim post prandium proficiscor. Totum iter obseptum erat armatis Rusticis, qui vehiculo circumfusi audaciam ituri per armatas acies mirabantur. Ego verò cum literis Regiis munitus essem, omni periculo insuper habito iter continuo. Ac cum propè Notmoram ventum esset, ubi disposita in ordinem stabat utraqve acies, progredi ulterius non ausus est auriga, præsertim, cum saucios rusticos in urbem retrahi videret, licet, ut postea audivi, non ab hoste, sed a propriis civibus per incuriam vulnera ista acceperint. Dum subsistimus dubii, quid agendum ac consilium in capillis quærentes, totus ordinum

N

exer-

exercitus retro in urbem ire cœpit. Fugam diceret, si infecutus fuisset aliquis hostis. Cives verò ac rustici, verentes, ne risui exponerentur, reditus causam allegabant defectum tormentorum militarium, quibus muniti erant milites Ducis, sed credo exhalatâ crapula, (nam vino adusto graves expeditionem hanc susceperant) impetum torpuisse. Torrentem ego secutus incidi in Centurionem nomine Andri, postquam de nomine, de patria & itinere nonnulla rogaverat ipse mihi svasor erat, ut iter remetirer. Est idem Andri filius Consulis cujusdam Embdensis, vir egregiæ indolis, ac optimè moratus, quemque Lyrenses tunc temporis iisdem oculis intuebantur, quibus olim Junium Brutum Romani, cum pro libertate pugnabant. Redux in urbem factus litem habui cum vehiculi locatore, qui pretium, quod provectura stipulatus erat, in solidum flagitabat. Regerebam ego, cessare heic actionem locat: Conduct: ac virtute Contractûs *Do ut facias*, nihil ei deberi, cum operam quam mihi pollicitus erat, ipse præstare nequiret, ideoque, si ad interdictum veniretur causa eum casurum, sed gratis allegantur leges ac jura in civitate, ubi regnat species quædam anarchiæ, neque inter tot caligas, tot millia clavorum jus dicit Prætor, etiam

— — *cum justæ defertur causa querelæ.*

Nam non solum aurigæ satisfacere, sed etiam magistro rhedarum his solvere coactus fui. Exacta tristissima & insomni fere nocte in turbida hac civitate, scapham postridie conduxi: sed ad ripam amnis venire non poteram, anteqvam urbe egressus erat exercitus, qvi duobus tormentis bellicis jam munitus novæ expeditioni se accingebat. Unica hæc leuca pluris mihi stetit quam totum fere iter Amstelodamo ad Castellum novum. Circa Vesperam, cum ad Vicum quendam, cui nomen; *Dederen* venirem, certior factus sum de successu hujus expeditionis, ac de abitu militum Ducis Frisæ Per Oldenburgum Bremam proficiscor, ubi cum triduum manere coactus fuerim, nonnullos è Gymnasii Professoribus invisi inter eos Doct. Hasæum, virum multæ ac variæ lectionis. Monstravit mihi bibliothecam suam, quæ inter Bremenses optima censetur, tam ob copiam librorum, quam ob selectum. Bibliotheca Gymnasii satis instructa est; sed omnes ferè libri in folio sunt. Dividi possunt incolæ urbis Bremæ inter cives & Doctores. Horum enim tantus est numerus, ut, si tempore belli delectus eorum ageretur, exercitus haud contemnendus conscribi posset, Quo-
eunq; oculos se vertebat, Doctor erat. Hinc, si

nulla admittatur distinctio inter doctum & doctorem, civitatum totius urbis doctissima censerī debet Brema. Hamburgi ad nonnullos literatos invisi, inter quos Doctissimum Fabricium & Johannem Hubnerum indeque mox Hafniam proficiscor.

Ita quinta peregrinatione defunctus, aggredior ultimam manum imponere inchoato ante abitum poemati, cui titulus: *Metamorphosis*, fingitur societas animalium, arborum ac plantarum, cui præsident Dii Deæq; sylvestres, Pan Sylvanus, Flora, Bubona, Pomona &c. Et sicuti apud Ovidium homines mutantur in bruta ac arbores, ita heic bruta ac arbores transformantur in homines; ex. gr. procera quercus fit homo, a quo descendunt Proceres isti, qui, a stipite non degenerant, ipsi utpote lignei, foliorum tantum, non fructuum feraces, sub quorum umbris tamen vivunt pauperes philosophi. Pica transformatur in tonsorem, inde loqvax adeo id hominum genus: hircus in Philosophum undè barbati ac pugnaces Philosophi; Herba solaris in Virginem aulicam; nam uti illa solem semper spectat, at subito evanescit, ita Virgines aulicæ ad nutum Dominarum intentæ, cum maxime splendent, subito exarescunt &c. Conatus sum stilum ac indolem Poëtæ Sulmonensis

ef.

effingere, quantum permisit tenuitas Venæ :
 sed, uti pictores pulcræ absolutamq; faciem
 rarò nisi in pejus fingunt, ita ego ab hoc Ar-
 chetypo labor ac decido : nam deesse fateor
 venam Ovidii, uti deest lingvæ latinæ elegan-
 tia ac ubertas. Mirè optimatibus ac literatis
 placuit hoc poema ob commenti nobilitatem,
 ob teneros enodesq; versus, & deniq; ob ope-
 ris dispositionem, qvippe fabula fabulæ nexa
 aliam ex se gignit. A plebe verò in satyrarum
 tantum examine defixa diversis animorum
 motibus exceptum fuit. Prodiit mox ple-
 beium ac inconditum carmen, in quo ingen-
 ti hiatu bacchatur Versificator.

Quocirca non deerant, qui ad vindictam me
 acuebant, sed, quo audacius conviciabatur eò
 indignius responsione hoc carmen judicabam.
 Inter gravamina palmarium est hoc, quod sc-
 desides ac inertes ad munia obeunda reddan-
 tur homines, cum viderint sese brutis ac ar-
 boribus originem debere, quasi verò pericu-
 lum sit ne adulter, quem a cuculo descendere
 facio ad obeundum munus minus alacris fiat,
 tonsor minus loqvax, scholasticus minus
 pugnax &c. Tantum absuit, ut ob convicia hæc
 Galeam induerem, quin ne typographum
 quidem, a quo sapius provocatus fui ad inter

dictum vocare voluerim, licet paratu ultionis media monstraverint ipsi Prætores urbis, ac non pauci alii ad ultionem serio stimularint, ne infinitum procederet audacia istius viri. Sed tantum alitibus abhorret animus, ut quodvis pati quam litigare mavelim.

In præfamine hujus poematis indicabam pacem me cum genere humano serio meditari, ac à scribendis satyris animum jam abhorre-
 rere. Credebant nonnulli, e stimulo conscientiae ac poenitudine sectae prioris, quam tacite jam damnabam, procedere hæc pacis consilia. At falluntur, nam poenitet me quidem litus hoc sterili per tot annos versasse aratro, at non pudet occupationis, quam vitam philosophi ornare existimo. Quo animo ac quem in finem inter scruposas has cotes tam diu navigaverim, indicant præfationis apologeticae operibus meis poeticis subnexæ: qui verò his parum moti, adhuc suspicari ac conviciari pergunt, jubentur eodem mecum fasce complecti Viros eruditione, integritate ac pietati insignes, quorum testimoniis vadatus poemata, satyras, ac comœdias in lucem edidi. Si igitur cespitaverim, cum optimis viris cespitavi, qui ad scribendum impulerunt, scriptisque album calculum adjecerunt.

Et sanè sufficit hoc solum argumentum ad di-

diluenda quævis imputata crimina ; nam, si mentionem factururus essem eorum, quorum consiliis me regi passus sum, quorumque judicia, antequam prelo commissa fuerent opera mea, exploravi, omnis radicitus tolleretur pravi animi suspicio. Sed maximè mea scribendo deterruere crebri per urbem sparsi silli, in quibus pravis affectibus effreni admodum licentia velificantur scriptores quidam anonymi. Nam non defuere, qui, aut errore persuasi cum non satis perspectam habuerint indolem meam, aut animi malitia impulsus non dubitarunt palam me authorem nominare. At Deum ter opt. Max. sanctè testor, nihil a me in joculari isto scribendi genere elaboratum, nisi quod sub nomine Johannis Michaelidis prodiit.

Finem jam Epistolæ imponerem, ni addendum aliquid esset coronidis loco de indole ac moribus meis. Nam, cum pauci ordinis Professorii crisi civium magis expositi fuerint, haud injucundum tibi spero, si eodem, quo alios penicillo, eodem candore memet ipsum depingam.

Sensi à teneris ferè annis nil adeò pestiferum sanitati meæ quam voluptates sectari. Hinc parcè adeò ac continenter vixi, ut, licet ætate puer, vità tamen senex sodalibus visus-

fim. Igitur non deerant, qui ob istam ætatulæ
 huic insolitam temperantium ac morum seve-
 ritatem dicta in me haud rarò jaculabantur,
 quæ quo pronior in iram eò impatientius
 concoquebam. Nihilo tamen secius instituti
 tenax vitæ genus non mutavi. Crescentibus
 annis crevit etiam continentia; Ita cum puer
 dilutius quam meracius vinum biberem, vir
 tanquam cicutam respuo. Tandem ante ali-
 quot annos eò res rediit, ut solitis frugalitatis
 legibus non contentus cibum ac potum lanci
 impositum ad certas & dimensas portiones
 restringere conabar imitaturus exempla eo-
 rum, quibus victus iste mathematicus mirè
 fuit salutaris. At non philosophiam, sed stul-
 titiam elleboro dignam judicabant amici, acri-
 ter eò nomine me corripientes, ac tanquam
 mortuum deplorantes, quid enim stolidius
 agebant, quam florentibus annis commercio
 hominum se subtrahere; seorsim enim edere,
 nihil aliud esse, quam extra societatem huma-
 nam degere, ac seipsum proscribere. Repo-
 nebam ego, socialitatem in computationibus
 ac commestationibus non consistere, sed sur-
 dis fabulam narrabam. Alii, qui crassius
 philosophantur, dictis scripturæ malè intelle-
 ctis ac locis communibus me jugulabant, di-
 centes cibum ac potum ponderare, nil aliud
 esse

esse quam de providentia Divina diffidere ; non deesse exempla eorum, qui vitam ita pro-
tahendo iram ac vindictam Dei incurrerunt. Regerebam ego, nulla mihi ejusmodi vindi-
ctæ occurrere exempla &, si quæ fortè in
promptu iis sint, ad aniles fabulas releganda ea
esse ; Memini eqvidem Johanni Chrystosto-
mo in synodo ad quercum illigitima hoc cri-
men olim objectum fuisse. Sed quanti pon-
deris fuit ista accusatio, arguunt alia ejusdem
synodi gravamina, scilicet, quod soli illi bal-
neum succenderetur & id genus alia. Homi-
nes puto summa ope niti decere.

Ut sit mens sana in corpore sano.

& sicuti cura habeatur animæ, non negligenda est corporis, cujus sustentis illa sustinetur.
Hisce & similibus argumentis instar clypei diu
usus sum ad excipienda fortiter undiqve in me
vibrata missilia. At neque pacem neque indu-
cias impetrare poteram, tandem, ne æterna
mihi cum amicis certamina essent, fessusque
easdem cantilenas quovis die audire ab in-
cepto destiti.

Morbus, quo laboro, patrius mihi est ;
Nam experientia docet, valetudines quoque per
successiones tanquam alia tradi : Medicinam
tamen non utor, cum fontem morbi ignoro.
Jam gravis adeo totum corpus obrepat torpor

ut formicino gradu incedentem me videas. Jam pernitate pedum nemo me præstantior est, jam dolore capitis jam pedum corripior. Jam sedes morbi in stomacho est, & tunc jam calorem intestinorum, jam frigus sentio, jam nimium fermentum, jam nullum. Integrum biennium cephalalgia adeò vexatus sum, ut ab omni meditatione abstinere coactus fuerim. Intereaq; temporis non nisi libros historicos ac ephimerides legebam. At post exactum istud biennium, morbò sedem aliò transferente meditationibus Philosophicis ac poësi maximè delectabar, & tunc exaratum à me est poëma istud heroicum una cum satyris ac comœdiis, quarum nuper conspectum dedi. Hinc valetudinem arbitrato meo rego sine consilio aliorum: Nam operam credo lufuros medicos, qui morbum adeò lubricum ac Acheloi instar varias induentem formas domare tentarent. Hinc animus etiam quasi in gyrum circumagitur, valdeqve mei dissimilis sum; ideoqve id mihi imprimis curæ est, nè erumpant, inæqualitates istæ, quibus agitur animus. Affectus verò qui per vices animi partiuntur, sunt gaudium, mæror, timor, fortitudo, torpor, alacritas, Zelus, frigus, prout vitiosi isti humores jam in hac, jam in illa corporis parte nidulantur. Ita cum
ma-

malum circa præcordia olim versabatur, reformandi studio inflammatus in totum genus humanum insurgebam. Mox verò, malo sedem alio transferente, nemo me indulgentior. Hinc quoties isto reformandi studio agitor, differo bellum cum genere humano, edoctus experientia, non cum modo, sed cum ipso me bellum esse gerendum, cum zelus fit, qui virtute laxantium pilularum tolli potest; nam cessante malo, alio mox oculo homines intueor, alia mihi apparet mundi facies.

Ut alii stomachum, ita ego nauseantem nimis animum habeo, adeo ut inter sexcentos homines vix decem sint, quorum mores mihi ad palatum sint, hic sermonibus me jugulat, ille gestibus. Hinc a plerisque sodalitatibus cum stomachante animo revertor, solatium in solitudine quærens. Et cum nihil est, quod magis quam brevitatem amo odi imprimis istud hominum genus, qui parenthesis ac arcessitis nimium digressionibus sermones exornant longasque sed inanes periodos uno spiritu quasi torrente contorquent. Adeo ut facile crederem idem mihi instare fatum, quod olim Sabella cecinit Horatio :

*Hunc neq; dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra
Garrulus hunc, quando consumet cunqve.*

Hinc

Hinc ex omnibus, quas scripsi, fabulis *Garruli Tonforis* maximè mihi placet, quippe quæ in triumphum ducit eos, eorum pertinaci garrulitate sæpe mihi

— — — *sudor ad imos*

Manavit talos — —

Obistam molestorum hominum fugam haud rarò male audio apud eos, qui nauseam ab odio non distinguunt; sed aliud est fugere aliud odisse.

Sunt etiam (3)

— *Quibus in Satyra videar nimis acer, & ultra Legem tendere opus* — —

fateor equidem satyris meis multum bilis, multum amaritudinis inesse; Attamen in vitia tantum non in homines stylum acuo. Haud equidem ignoro, invisum plerisque id genus scribendi esse, multoque consultius esse

— — — *scribere fortem*

Scipiadam, ut sapiens Lucilius,

Quam tristi ludere versu.

Videmus enim, cum laudatores honoribus ac divitiis cumulentur, censores ejusmodi tanquam malos cives passim proscribi, cum tamen hi ædificant, quod illi destruunt; Hi fomenta vulneri imponunt, illi cicatrices revelunt. Hi exos plerumque sunt, cum ritu mendantium acerbas, licet salutare porrigant pot-

ti-

tiones ; Illi grati semper & accepti, cum æ-
grotantibus lenocinentur, dulcia sed exitialia
illis miscent pocula. Hi creduntur esse mali,
illi sunt. Hi hostes generis humani videntur,
cum sint amici, illi videntur amici, cum sint
hostes internecini. Mirantur non pauci, cur

— — *hœc libuit decurrere campô,*

qui non nisi odii & invidiæ ferax est, nam si se-
mina spargas

— — *crescit seges clypeata virorum,*

At satius mihi visum est, cum damno aliquid
agere, quam nihil agere, honestius inter sco-
pulos navigare quam otiosum in portu deside-
re. Durum præterea ac difficile est, studia, ad
quæ naturali impetu ferimur, sufflamiare, viri-
bus quæ ingenii veluti compedes necesse, nè ex-
ferant se ; præsertim cum non desint, qui per-
petuo nos excitant acuuntque ad ea effingenda,
quibus putamus nomen ornari, memoriam
prorogari, ac vitam aliquam post mortem ac-
quiri. Hisce aculeis incitatur animus, qui in al-
tum semel proventus proclivis labitur, nec re-
perit locum consistendi.

Carmina mea plus leporis quidem habent
quam bilis, vitia non corrigunt, sed emen-
dant ; fateor tamen nonnulla esse, quæ repre-
hensionem merentur ; Nam, licet nemini ul-

trò bellum intulerim, in iis tamen persequendis, à quibus provocatus sum nimis acer ac pertinax fui.

Agnosco infirmitatem, damno nimium ardorem, ut enim grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut, si absurdè canat is, qui se haberi velit musicum, hòc turpior est, quod in eo ipso peccet cujus profitetur scientiam; Sic Philosophus in vitæ ratione peccans, hòc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus delinquit in vita: nam ita agendo non tolluntur vitia, sed ut ait Poëta.

— — — *castigata remordent.*

At cùm siccum jecur ardeat ira, habenas laxamus, ruimus ipsi præcipites in vitia, quæ nuper in aliis damnavimus. Hinc novam poematis mei editionem optarem, ob id solum, ut tollerentur convicia nonnulla, quibus scatet, licet enim invito mihi expressa sunt, non leves tamen easdem notas carminibus meis inuisse judico. Frustra enim nonnulli Philosophi patrocinantur iracundiæ, quam cõtem fortitudinis dicunt, cum nullum probent oratorem absque aculeis iræ, virumque videri negunt, qui irasci nescit: At saniores Philosophi videri virum negant, qui irascitur. Hæc insita mihi vitia sunt, quibus sæpe

ob-

obluētatus sum, sed quæ penitus domare huc usque nequivi: Nam magnæ molis est vitia inveterata radicitus evellere, cum ægrius depellatur diuturna lippitudo, quam repentinus oculorum tumor.

De Virtutibus meis loquuntur alii, nam si quæ sunt, ipso, qui exercet, recensente, evanescent. Vitia, quæ sector, in propatulo sunt; virtutes verò vitiarum etiam speciem habent, solutos in me reprehendunt mores, qui munditiarum studiosorem me Gynæcea sæpius frequentare vident, quam Philosophum decet. Dicunt alii indecorum homini mei ordinis esse comœdis patrocinari; At videor literas contemnere & tamen foveo, videor voluptates sectari & tamen fugio, barbas Philosophorum vellico, ipse tamen philosophor, contra vanitatem scientiarum declamo & tamen ipse studeo. Voluptates innoxias palàm tueor, & tamen ipse austeram vitam ago. In Cauponis assiduus olim fui & tamen semper ficcus; Inter aleatores quotidiè conspicabar, & tamen nunquam ipse ludebam. In jocis nonnunquam mentior, in rebus seriis nunquam. In adiaphoris tectus, in rebus majoris momenti usque ad reprehensionem apertus, in scriptis pugnax, in vita verò placidus adeò ut lites non semel freudentibus amicis redemerim.

His

His moribus aliter fieri non potuit, quin valde dubia redderetur existimatio mea apud eos, qui è sola, uti ajunt, barba philosophum metiuntur; de tollendo eorum errore sollicitus tamen non fui, cum sufficiat Philosopho vitiorum, ob quæ notatur.

Non conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ.

Haud ignoro præstare sæpè videri, quam esse; At ego, quod alii à vita Philosophi maximè abhorrere judicant, Philosophum maximè ornare existimo, nam is omne tulisse punctum videtur, qui voluptates non tam fugit, quam masculè illis occurrit, obnititur, dominatur. Sufficit hoc de moribus, de religione pauca restant dicenda.

Persvasum habent non pauci, cum in scriptis Lucianum me imitari videant, multum me etiam è Luciani indole hausisse, deque religione æque frigida judicia ferre. Commune mihi fatum cum aliis credulitatis impugnantibus. At Philosophum, quem in debellanda superstitione imitor, in impugnanda fide maximè detestor. Fateor equidem a vulgari opinione, me nonnunquam recedere, sed leviuscula adeo sunt ea, quæ ex scriptis meis eliciuntur, ut murmura tantum excitaverint, neminem verò in me armaverint. De Existentiâ Numinis nunquam dubitavi, nam ferum

ex.

excordem ac in physicis planè plumbeum judico qvi videt ut ait poeta.)

Cælum nitescere, arbores frondescere,

Segetos largiri fruges, florere omnia.

Fontes scaterè, herbis prata convestirier.

& tamen dubitat, an his præsit aliquis vel effector vel moderator tanti muneris. Fateor tamen candidè de divinitate Revelationis aliquot abhinc annis nonnullos mihi scrupulos iniecisse lectionem librorum damnatorum; nam cum libertate cogitandi à brutis nos distingvi maximè viderem, credebam officium esse hominis, persuasiones per successionem à Parentibus traditas ad examen vocare, libros proscriptos evolvere, deque omnibus dubitare. Hinc avidè conquirebam quicquid erat librorum prohibitorum, è quorum lectione non leves mihi scrupuli nati sunt. Fluctuantem animum incertiozem reddiderunt novi commentatores judaizantes, qvi in omnibus ferè Prophetarum oraculis typum fingunt atq; antitypum. Maximas verò procellas in animo ciebant scriptores quidam pontificii, qvi, ut autoritatem Ecclesiæ adferant, divinitatem librorum canonicorum impugnant; Nam cum palam in revelationem insurgant illi, per cuniculos fundamentum subruere conantur hi.

Ità crebra ejusmodi librorum lectio in aliquem me deduxit labyrinthum, quem tamen post aliquot annorum errores feliciter evasi; Filum Ariadnes mihi imprimis erat Abadiæ Veritas Religionis Christianæ, liber verè aureus, divinæ revelationis fortissimus adsertor, ac incredulitatis acerrimus domitor. Pacem etiam erranti prætulere Grotius, Huëtius aliique; Veritatis Christianæ Strenui Vindices. Restabant dubia nonnulla, quæ injecerat physicæ cœlestis studium, quò mire delector; Visi sunt mihi vortices Cartesiani ac Mundorum pluralitas Historiæ Creationis Mosaicæ adversari, at exemerunt mihi hos quoque scrupulos dexteri systematis Mosaici interpretes, qui feliciter hypotheses philosophorum hujus ævi cum sacra creationis historia conciliant.

Quod studia attinet, cum ægritudine tam corporis quam animi sæpe laborem, magnum mihi in literis solatium est, nihilque tam triste, quod non per has fiat minus triste. Hinc variis sæpè casibus turbatus dolorem exinde natum ægrè ferrem, nisi in portum Philosophiæ me contulisset, nisi ad unicum doloris levamentum studia confugisset. Variis studiorum tamen generibus me experior, nulli satis confisus, libros selectos in omni scientiarum

gene-

genere lectito , exceptis medicis ac Mathe-
 maticis, quos non intelligo. Olim historia-
 rum ac philosophiæ moralis totus eram, mox
 ad jurisprudentiam veterem deflecto, huic suc-
 cessit studium poëticum, quo iterum relicto ad
 pristina studia revolvor. Poteram forsitan
 nonnullius in literis nominis censerī, ni natu-
 ralem istum ardorem, quò in literas feror, in-
 hibuisset longa ac pertinax valetudo. Poterat
 etiam forsitan nomen meum quodammodo
 peregrè celebrari, ni scripsissem Danico idio-
 mate, cujus limites angusti adeò sunt, in i-
 psa Dania interdum frustra quæras, at sufficit
 mihi à crimine ignaviæ nomen quodammodo
 vindicasse, sufficit ab injuria oblivionis inter so-
 los populares me adseruisse, de lingua patria
 benè meruisse, tibi ad scribendum hortanti ob-
 temperasse. Et, cum ætas nondum receptui ca-
 nere permittat, in aliis operibus excudendis, si
 productius mihi ævum contingat, æque faci-
 lem, alacrem, nutuiq; tuo obtemperantem me
 reperies. Nam tuo legendi studio meum
 scribendi studium vehementius indies incita-
 tur. A te solo largam capio laboris mei mes-
 sem, qui libris meis acquiescis, quiq; magnifi-
 cum illud ac gloriosum nomini Danico putas,
 quod peregrinis de doctrina morum literis
 amplius non egeamus; Neque me à proposito

deterrebunt aliorum cavilla, contra quæ ob-
duruisse me arbitror, uti ille apud Euripidem:

*Si mihi tunc tristis primum illuxisset Dies,
Nec tam ærumoso navigassem salo;
Esset dolendi causa, ut injecto eculei
Freno repente tactu exagitantur novo.*

Sed jam subactus cavillis obtorpui, Niveo-
que tanti viri calculo munitus pergam con-
vitia non solum ferre, sed & novo sudore mer-
cari. Carmina vero jocularia & ludos solitos
relinquam aliis, quibus ætas mea jam cedere
ac fasces submittere debet, cum flos veteris
ubertatis jam exaruerit. Hafniæ pridie Ca-
lend. Januar. Anno MDCCXXVII.

